



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput VI. Christus in aula Herodis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)

vinitatis, non tantum es prope me, sed intra me.
Tu qui es in me, & ego in te, da ut semper possi-
deam te.

CAPUT VI.

Christus in aula Herodis.

§. i.

Gaudium Herodis ob visum Christum.

TAndem post multa viarum diverticula, semita-
tarum ambages, callium anfractus, pervenit
is, qui est via & veritas, ad illum, qui errabat à via
veritatis, hoc est, Christus ad Herodem. Quid
illic actum, ita paucis complexus est D. Lucas:

Luc. 23.

Herodes autem viso Iesu gavisus est valde.

Istud non miror, quod Herodes viso Iesu ga-
vissus sit, & quidem gavisus valde. Quis non gau-

Tr. 2. 15.

deat presente eo, qui est gaudium universa terra?

Luc. 1. 44.

Adhuc latebat Præcursor Domini in utero, &

Gaudiū

præsentem Domino exultavit in gaudio infans in u-

summū

tero. Adhuc jacebat omnibus incognitus, Deus

Jesum.

ille absconditus in præsepio, & ecce mittuntur

Luc. 2. 11

cœlestes ex alto præcones, ut omnes ad gaudiū

Matth. 2.

erigant. Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod

10.

*erit omni populo. Tres illi qui venerant ex Ori-**ente Magi, visam tantum stellam, quæ ad eum ducebatur**gavisi sunt gaudio magno valde. Quis ergo miretur**si Herodes viso Iesu gavisus est valde? si quod est**gaudium in cœlo Patriarchis, Prophetis, Regi-**bus; si quod Apostolis, Martyribus, Confessoribus,**Virginibus; si quod est gaudiū Angelis Dei**& omnibus Electis, qui sunt turba magna, quam**dinumerare nemo potest; illud est gaudium super om-**ni gaudium, videre Iesum. Spongia projecta**in medium oceani non tam est plena undique*

aqua;

aquâ, quàm sit anima cujusque electi in cœlo repleta gaudio; & quidem gaudio magnitudine immenso; tempore, infinito: quia gaudium illorum nemo tollet ab illis. Jam verò omnes illi rivi gaudiorum, per omnes Angelos, & beatas mentes longissimè latissimèque diffusi, profluunt ex Jesu clarè viso. Non alium ob finem sumus in mundum educti, nati, creati, redempti, quàm ut totâ æternitate videamus faciem Jesu: unum quod pro omnibus laboribus expectamus præmium, unum quod speramus post hanc vitam bonum; quam optamus, felicitas; & qua fruemur, salus, est videre faciem Jesu. Jesus enim cum sit homo-Deus, clarè visus est homini plena salus. Quid ergo mirum si Herodes viso Jesu sit gavisus? unum ego miror, quia videtur mihi mirabilium omnium mirabilissimum, quòd nos Christiani non gaudeamus viso Jesu. Nec enim alium vidit Herodes in aula, quàm nos in hac arâ; imò non alium, unde sunt beati, vident Electi omnes in cœlo, quàm nos in templo. Unde, si quod dico ego coram Jesu, quisque crederet, & firmiter crederet esse verum, quod dico de Jesu, nemo ex tota hac turba momento uno viveret, sed præ immensa exuberantis gaudii à Jesu emanantis, copiâ deficeret; & sicut cera ante faciem ignis, sic ante faciem Jesu (est enim ignis consumens) præ amore liquefceret. Ecce ille, unde totâ debemus gaudere æternitate; qui unus est gaudium omnium, non longè est ab unoquoque nostrum. *Gaudete ergo in Domino*

Deut. 4.

24.

Phil. 4. 4.

Ps. 38. 6.

semper: iterum dico, gaudete; Dominus enim prope est; sic ut videat nos, & videatur à nobis. Si ita est, quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Si Herodes insigniter reprobus, incestuosus, tyrannus, Dei inimicus, gavisus est viso Jesu, qui erat

Q

ipfius

ipsius Iudex; cur nos Christiani non gaudemus
 viso IESU, qui est omnium nostrum pater? An
 beatiorum te censuisses, si Christum vidisses facie
 ad faciem, ut Herodes, quam ut modò vides per
 speculum in ænigmate, hoc est, per fidem? Erras;
 Ioan. 20. quid enim dixit Christus Thomæ? *Quia vidisti me*
 29. *Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, & credide-*
runt. Beati ergo nos qui nō videmus, & credimus.
 Hæc est enim vera fides, credere quod non vides.
 Si ergo credimus illic esse, quem non videmus,
 cur non gaudemus? Gaudes te ex nihilo creatum
 hominem, capacem æternæ gloriæ? IESUS te crea-
 vit; cur viso IESU non gaudes? Gaudes te mortis
 æternæ reum redemptum, IESUS te redemit. Gau-
 des te evasisse mortem, sperare vitam, te ereptum
 ex tenebris & umbra mortis, vocatum ad lumen
 illud admirabile; tot denique, quot nec ausus fuif-
 ses sperare, & obtinuisse bona, & evasisse mala?
 Hæc omnia & effugisti, & obtinuisti solius bene-
 ficio IESU: cur ergo viso IESU non gaudes? Dis-
 cutiamus quæ tibi sit materia gaudendi. Turget
 tibi crumena loculentis aliquot nummis: gau-
 des; accedit fur, & eripit tibi materiam gaudii, &
 simul tuum gaudium. Gaudes quòd emendicatis
 ab ove velleribus, murice tinctis, & bombycum
 evisceratis exuviis, splendidis, inquam, fulgeas
 vestibus. Arreptit tinea, corrodit vestes; tollitur
 tibi gaudium. Gaudes quia rident tibi purpureæ
 in vultu genæ, candet eburneum collum, fluat
 per cervicem aurea cæsaries, forma tibi immodi-
 cè venusta & speciosa est. Corripit te febricula,
 formæ illa venustas defloratur; tollitur tibi tuum
 gaudium. O gaudium diarium, imò horarium, ne
 dicam momentaneum! vix percipitur, mox ex-
 tinguitur. Si aliunde gaudes quam ex IESU, gau-
 dium

Gaudiū
è rebus
vanis est
vanum.

dium tuum quilibet tollet à te. O gaudium cordis mei! Gaudeant alii ad sonitum organi: alius gaudio gaudeat super vocem sponsi: alius gaudeat super iniquitate: alii lætentur cum malè fecerint, & exultent in rebus pessimis. Non invideo illis sua gaudia. In quo ergo tu gaudebis, & exultabis, cum non possis vivere sine gaudio? Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo. Vis ergo gaudium sincerum, soli dum, stabile, constans: vis gaudium, quod nulla mundi turbatio, nulla temporis vicissitudo, nulla rerum adversitas, nullus hominum tumultus, nullus fortunæ casus tollat à te? Sit tibi gaudendi causa non tantum summa, sed sola: quia Deus est Deus. O quanta hinc mihi accrescit lætitiæ seges, cum tu Deus semper sis Deus! Agitetur mundus bellorum fluctibus, & præliorū motibus misceatur: alternis casibus alterni succedant casus: susque deque ferantur omnia: hoc mihi semper & immutabiliter manet, quod Deus sit Deus. O homines omnes, ad hoc stabile gaudium vos unà mecum invito! Venite, jubilemus, & exultemus, & demus gloriam Deo nostro: sumite psalmum, & date tympanum: plaudite manibus, hymnum dicite, & psallite, lætamini, & gaudete: quia Deus est, & fuit, & erit semper Deus, ab æterno in æternum beatus Deus. O Divi Divæq; omnes, quanta est vestra felicitas, quibus datum est semper in hoc gaudio, per totam consequentem æternitatem, sine cessatione, & cum tota qua potestis contentione persistere! O Jesu omne gaudium meum, quia omne bonum meum! Optarem omnium Angelorum mentes, & hominū corda solus haberem, quibus gauderem de eo quod es, & per omnem æternitatem eris in splendoribus Sanctorum, & inaccessio lumine SS. Tri-

Iob. 21, 12

Ioan. 3, 29

1. Cor. 13,

6.

Eccl. 2, 2.

Hab. 3, 8.

Gaudiū
verum
in quo
consistat

nitatis. Delector ultra omnem modum videre te supra Angelos & homines exaltatum, in ipsius Dei solio assidere, omnis ejus gloriæ consortem, Incredibili gaudio perfundor, dum intelligo ipsos adeò Seraphicos spiritus, imò omnes novem Angelorum Choros, & universas cœli Potestates ad tuos pedes coronas suas abjicere, & infinito intervallo te universos orbis Principes & Monarchas transcendere. Præ lætitia me non capio, quando considero, omnes animas, quæ modò cœlesti gloriâ fruuntur, tibi soli debere, quod illis fruuntur: illos esse fructus sanguinis, ac spolia laboris tui. Omnes facultates animæ meæ præ consolatione gestiunt, cùm mihi propono diem illum, quo tu triumphantis more, alis Cherubino- rum insistens, descendes cum omni pompa gloriæ, sedebis supremus Judex vivorum ac mortuorum. O quale gaudium erit, tunc ex ore tuo

*Matt. 25.
21.*

audire: *Intra in gaudium Domini tui!* Tunc ubi videro te, Jesu, gaudium cordis mei, gaudebo valde & gaudebo gaudio magno nimis, quia tu magnus, & laudabilis, & amabilis es nimis.

§. II.

*Christus ab Herode de multis interrogatus,
nihil respondet.*

Iob. 12. 18 **S**tabat hîc vinctus funibus Rex regum, qui baltheum regum dissolvit, & præcinget fune renes eorum, coram sacrilego Rege Herode, qui non erat dignus solvere corrigiam calceamenti ejus, imò nec pulverem pedum ipsius lingere. Herodes, quem disertum faciebat dicax curiositas: *Interrogabat eum multis sermonibus.* Instabat opportunè, importunè; urgebatur ut loqueretur, hortabatur, supplicabat, blandiebatur, nihil non lenociniis,

minis, promissis agebat, ut verbum unum ex ore
 ejus extorqueret. Quid interim ad tot verba, &
 quaestiones, & interrogationes, & supplicationes,
 & obtestationes Christus? Audite Evangelistam,
 & stupete: *At ipse nihil illi respondebat* Grande my-
 sterium, ubi Verbum Patris servat silentium. Cur
 non moves linguam, *qui linguas infantium facis di-* Sap. 10.
sertas? Cur nullum jam verbum profers, qui *ver-* 21.
ba vita aeterna habes? Cur non, ut aliquid dicas, a- Ioan. 6.
 peris os tuum, qui habes os & sapientiam, cui non 68.
poterunt resistere & contradicere omnes adversarij tui? Luc. 21.
 Qui loquitur, Rex est; nunc autem scriptum est: 15.
Cor Regis in manu Domini; quacumque voluerit, incli- Prov. 21.1
nabit illud. Moveat te personae interrogantis di-
 gnitas, moveat audientium celebritas. Qui au-
 diunt, sunt numero plurimi, sanguine nobiles, o-
 pibus locupletes, dignitate praestabiles, potentia
 praecellentes, consilio prudentes, Optimates, Ma-
 gnates, & selectissimi totius Galilaeae Proceres.
 Numquam habuisti tam honorabilem ut loque-
 reris, confessum: numquam tam exquisitum au-
 ditorium. Singuli pendent ab ore tuo, stant ere-
 ctis auribus, omnes sunt intenti ut te videant, at-
 tenti ut audiant. Si semel loquaris, indubie clama-
 bunt, & acclamabunt una voce omnes: *Numquam* Ioan. 7.
sic locutus est homo, sicut hic homo. Imò dicent, quod 46.
 postea dixerunt de Herode: *Dei voces, & non homi-* Act. 12.28
nis. Frustra omnia. *At ipse nihil respondebat.* Nimi- Eccl. 3.7.
 rum: *Tempus loquendi, tempus tacendi.* Non erat nec
 tempus quando, nec locus ubi, nec personae qui-
 bus judicabat convenire, aut expedire ut loque-
 retur. Observabat Christus sua, quae olim dixerat,
 verba: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis* Matt. 7.6
margaritas vestras ante porcos. Non hos elegit Do-
 minus. Cum sileret Christus coram Herode, Pa-
 trem

- Math. 11** trem suum indubiè alloquebatur hisce verbis :
- 25.** Confiteor tibi, Pater cœli & terrarum, quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis, Parvulis, parvulis. Stabat in medio vilium piscatorum, & mox aperiens os suum, docebat eos. Cum muliere Samaritana, quàm multis differit? Clamabat in plateis cæcus: cum eo mox loquitur, & familiariter alloquitur. Dum enim stipant cæci, claudi, muti, paralytici, hydropici, fœx populi, peripsema totius Jerosolymæ, abjectissimi terræ filii, tunc aperiens in parabolis os suum: tunc eructabat abscondita à constitutione mundi: tunc eructans in sermone: tunc docebat, tunc clamabat. In palatio, coram Rege, in conspectu tot Procerum servat silentium: Et nihil illi respondebat. Fortè idè Christus siluit in Aula, ut nobis omnibus hodie loqueretur ex ara. Ecce quicumque estis hoc loco, Auditores, erigite nunc aures, attendite animos, os Domini loquetur: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Audi adolescens qui sedes in cathedra pestilentia, qui jaces in pulvere, imò in sterquilinio, in volutabro carnis & sanguinis: clamat ad te, sed sine strepitu verborum, loquitur ad cor, dicens: *Adolescens, tibi dico, surge.* Clamat ad omnes juvenes Academicos: *Venite post me, & faciam vos fieri pisces hominum.* Clamat ad omnes & singulos: *Venite ad me omnes.* Qui vocat omnes, nullum excipit. Quod olim locutus est in Synagoga, hoc ipsum jam loquitur in hac Academia, & hac horâ, hoc loco ad omnes Academicos: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam eternam possidebit.* Hæc vox ubi primùm cœpit resonare per mundum, mox implevit eremos Anachoretis, claustra

Virginibus, asceteria Monachis, cellas Cœnobit-
tis, urbes integras viris Religiosis. Tot fuerunt
in hac urbe, in hac Academia juvenes, vestræ æta-
tis, sortis, studii, conditionis, qui audiverunt illa
ipsissima verba, & mox jusserunt mundum res
suas habere, & relictis omnibus nudi secuti sunt
Christum nudum. Eadem planè sunt verba quæ
auditis vos, & quæ audiverunt illi; idem qui vo-
bis loquitur Christus; eadem, quæ fuit illorum, est
& fides vestra. Cur ergo, ut illi, nō auditis loquen-
tem? Cur non sequimini vocantem? Sed erit qui
dicat, Summa votorum est, à Deo vocari: utinam
ut illis, sic & mihi loqueretur! jam nunc juravi,
& statui, relictis omnibus sequar eum, & sequar
quocumque ierit. Hoc si promittis, jam reus es
promissi. Hoc enim verò loco, hac ipsâ horâ tibi
loquitur, jam te vocat, ut relictis omnibus eum se-
quaris. Dubitas? sed dubitandi nullus relictus est
locus. Age, adolescens, nonne tecum ipse sincere
judicas, prudenter, utiliter, feliciter, & sapienter
fecisse adolescentes illos omnes, qui à Christi
tempore ad hunc usq; diem mundo, & omnibus
quæ sunt mundi, renuntiârunt; & ut essent sui, re-
liquerunt omnia sua, & sub disciplina, alii Bene-
dicti, alii Bernardi, alii Francisci, Dominici, Bru-
nonis, Norberti, secuti sunt Christum? Nullus
dubito, laudas eorum consilia, probas exempla,
imò invides illorum sorti: bene, rectè, prudenter
fecisse existimas. Cur ergo, quod ab aliis factum
probas, tu facere recusas? Nonne & tu judicas
tibi quoque ad salutem expedire, ut illorum ve-
stigiis insistens, adhæreas potius Christo, quàm
mundo? viam tibi fore ad cœlum longè expedi-
torem? pauciora illic esse pereundi pericula, plu-
ra pro salute præsidia, ampliora Dei auxilia, ma-

Ad Re-
ligionē
vocari
quid sit,

jora solatia? Hæc omnia firmiter credere, clarè cognoscere, certò judicare, ject ad illa à Christo vocari. Illa quæ tuæ menti affulget, qua illa videas lux, est Christi suadentis, ut illa facias, vox. O lux! ò vox! lux primæva, vox æterna. Lux affulge mentibus; vox insona auribus. Loquere Domine, nullus hîc Herodes, non hîc, ut illic fileas. Tu dixisti, & facta sunt; tu mandâsti, & creata sunt. Tantùm ergo dic verbo: Veni; & veniam, Loquere ergo Domine, sed loquere mihi ad cor. Sufficit ex ore tuo verbum tuum, ut post te trahas mundũ totum. Pauca fueras locutus ad Judæos verba, & *ioan. 12. 19.* mox Pharisæi indignati, clamabant: *Ecce mundus totus post ipsum abit.* Nos omnes ex mundo abibimus, & sequemur te, modò audiamus uno tantùm verbo loquentem te. Ergo exemplo illius, quæ *Luc. 10. 40.* teste te, *optimam partem elegit, sedens secus pedes tuos, ò Domine, audiam verbum tuum.*

§. III.

Christus coram Herode accusatus sitet.

CHristus non tantùm de multis ab Herode interrogatus, sed de plurimis à Judæis accusatus, patientiã suã se involvens, nullum, quo illorum criminationes refellat, adducit argumentum; nullum, quo se defendat, profert verbum. Silent Evangelistæ crimina, de quibus aceusabatur; produnt tamen illos, qui illum accusabant; sic enim loquuntur: *Stabant autem principes Sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum.* Etiam hîc solum Christi pro sua causa patrociniũ, fuit constans silentium. Hoc admirandum, & omnibus seculis inauditum æternæ Sapientiæ silentiũ, suis momentis ponderatum sufficit ad omnium malè loquentium ora obturanda. In primis illi, qui

qui eum accusabant, erant viri auctoritate maxi-
mi, Scribæ & principes Sacerdotum, quorum ver-
ba, erant effata; acta, agendorum norma; vita,
malorum censura. Unde facilè ut crederet omnia
vera esse, auctoritate eorum inducebatur Hero-
des. Sacerdotes ergo, sub quorum lingua erat ve-
nenum aspidum, expuunt in illum omnem bilem,
Christus suscipit; loquuntur illi, hic tacet; illi ac-
cusant, hic accusantibus nihil opponit; scelera
exprobrant, audit; contumelias in eum exone-
rant, nihil respondet. Sed Christe, vide quid a-
gas: crimina quæ tibi obijciunt, probas, dum quæ
obijciuntur, fecisse te, non negas. Memineris
quid per Davidem facturum te prædixeris: *Re-*
spondebo exprobrantibus mihi verbum. Cum respon-
surum exprobrantibus te promiseris, cur in tan-
ta Judæorum exprobratione nihil respondes? An
oblitus es tui promissi? *Accusatur Dominus* (ait
Ambrosius) *& tacet; & bene tacet; quia defensione nõ*
indiget. Ambiat defendi, qui timet vinci; non ergo accu-
santem tacendo confirmat; sed despicit, non refellendo.
Christus dum condemnatur, & superat; dum iudicatur,
& vincit. Quid ergo erat ei opus loqui ante iudiciũ, cum
ipsum iudicium erat innocentia testimonium; calu-
mnia, victoria, &c. Taceat lingua necesse est, ubi ipsa æ-
quitas sibi adest; plenior iustitia est, quæ non verbis ad-
struitur, sed virtutibus fulcitur. Nolo sic defendi iustitiã,
ut iniquitas solet excusari. Quod vincit Christus, non ora-
tionis, sed virtutis est. Scit enim Salvator, qui est sapien-
tia, quomodo tacendo vinceret; quomodo non responden-
do superaret: atque ideo mavult causam suam compro-
bare, quàm dicere. Quid enim eum compelleret ad lo-
quendum, cum silentium sufficeret ad vincendum? O si-
lentium omni eloquentiã facundius; omni cla-
more vocalius; omni tubæ clangore clarius! Si-

Ps. 118.

Lib. 10,
in Luc.Silentiũ
innocẽ-
tiæ est
patro-
cinium.

O s

lentium

lentium dignum omnium Oratorum linguis
 prædicari! O quàm disertè hoc Christi silentium
 accusat linguam meam! quàm illa velox est ad lo-
 quendum; quàm tarda ad silendum! Adest inimi-
 cus? præsentis calumnior famæ. Abest? absentis
 lædo honorem, imminuo æstimationem. Loqui-
 tur mihi? obloquor ipsi. Dum interrogo, scelera
 ipsius exprobro. Dum respondeo, diceris eum
 irrideo. Jam provoco ad iracundiam, dum cavil-
 lando irrogo injuriam. Denique *lingua* mea gla-
 dius acutus. Quot profero verba, tot infligo vul-
 nera: vel aliis, dum alienam obscuro gloriam: vel
 mihi, dum propriam occido animam. Sed te hîc
 alloquor, quisquis innocens: propone hîc tibi
 Christi silentis exemplum. Calumnientur tibi
 maledicorum linguæ, accusent malignantium
 concilia, contemnent iniquorû tribunalia. Non
 opus est consulas in foro, ut tibi consulas causi-
 dicos, vel advocatos, vel patronos. Sit causæ tuæ
 patrociniû, Christi exemplo, silentium. Securè
 conticet lingua, ubi loquitur vita. Non opus est
 Aristotele, qui ex Philosophia collectis te accu-
 santes convincat argumentis; non opus Demo-
 sthene, qui ex Rhetorica requisitis tuam causam
 defendat præceptis. Nullius tam facilè tibi pa-
 trocinabitur eloquentia, quàm vitæ tuæ inno-
 centia. Integritas, & morum modestia, optima est
 pro tuî defensione apologia. Sed durum est in-
 nocentem debere pati, nec posse loqui. Ecce e-
 nim impii cogitaverunt iniquitates in corde: tot à die
 constituebant prelia. Fingunt falsa crimina, ad-
 struunt falsa testimonia: *Acuerunt linguas suas sicut*
serpentes: accusant, calumniantur, minantur. Quid
 agimus? Silemus; silentium interpretatur ficti
 criminis testimonium. Loquimur? iniqui iudices
 æquis

Ps. 56. 5.

Ps. 139. 3.

Num. 4.

quis auribus loquentes non audient. An ergo contra fas & nefas condemnabitur innocentia, cum nullum habeat, qui ejus causam in terris defendat, Advocatum? Nolite diffidere causæ vestræ, Innocentes. Non habemus, qui pro nobis loquatur apud iniquum judicem, advocatum: *sed* I. Ioan.
Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum. 2. I.

Hoc cogit nos innocentes inter calumnias cum Christo silere: inter varias criminationes non loqui: falsè accusantibus non respondere: quia *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum.*

Jesus pro nobis loquitur in cœlis, dum propter ipsum silemus in terris, Ideo siluisti, ô Jesu, coram impio Rege, ut loquereris pro nobis coram Patre. Sed & nunc non tantum pro nobis, sed & nobis loqueris. Tu ergo Verbum pro me caro factum, tantum dic verbo, mihi cæco: Respice, & videbo faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere. Tantum dic verbo, mihi surdo: Adaperire, & audiam verba tua dulciora supel mel & favum. Tantum dic verbo, mihi muto: Loquere, & loquar magnalia tua. Tantum dic verbo, mihi paralytico: Ambula, & curram per viam mandatorum tuorum. Tantum dic verbo, mihi leproso: Mundare, & confestim mundabitur lepra. Tantum dic verbo, mihi mortuo: Surge, & continuo surgam, & residebo, qui fueram mortuus. Sed audio, ô Sapiaentia æterna, te dicentem per os Sapiaentis: *Verba Sapiaentum audiuntur in silentio.* Eccl. 9. I

Quantò magis opus est silentio, dum loquitur ipsa Sapiaentia? Non loquitur Verbum, nisi silentibus. Non est in corde tuo silentium. Pulsat in animo tympanum iracundia: inflat buccinam vanagloria: rixantur spes, & timor: digladiantur amor, & odium: debacchantur tristitia, & gaudiū: tumul-

Osea 2.
14.

Sap. 18.
14.

tumultuantur audacia & cupiditas: fremunt ef-
franes affectus: & bello plus quàm civili agitur
pectus. Cor nostrum est campus Martius: plena
omnia strepitu, fremitu, tumultu. *Ducam eam in so-
litudinem, & ibi loquar ad cor.* Sit cor tuum solitu-
do, sit in corde silentium, & tunc loquetur ad cor.
*Cùm enim quietum silentium contineret omnia, & nox
in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus
de caelo à regalibus sedibus prosilivit.* O Christe, jam
quietum silentium continet omnia: patent au-
res, ut excipiant verbum tuum. Veniat jam de
regali sede, de hac ara, omnipotens sermo tuus;
& fitemus nos potentes sermone & opere: si lo-
quaris nobis viatoribus hïc in via, ut olim duo-
bustuis discipulis; illico cor nostrum ardens erit.
Itaque loquar tibi cum tuo Augustino: *Age Do-
mine, & fac: excita, & revoca nos; accende, & rape;
flagra, & dulcesce: jam amemus, & curramus.*

§. IV.

Spernitur Christus ab Herode.

Prov. 8.
15.

Apoc. 1.5.
Ps. 71. 11

Iob. 6. 69.

Ps. 55. 6.

Ioan. 4.
10.

CHristus, qui non minus verè quàm magnifi-
cè gloriatur: *Per me Reges regnant, per me Prin-
cipes imperant:* qui à Joanne vocatur Princeps Re-
gum terra: ille ab impio, sacrilego & abjecto Re-
ge contemnitur ut stultus; deridetur ut fatuus;
exploditur ut insanus; *Sprevit illum Herodes cum ex-
ercitu suo.* O Herodes! noluit tibi loqui Verbum
Patris, cùm tamen *verba vita eterna habeat:* quia
tu ex illis, de quibus per Prophetam conqueri-
tur: *Tot à die verba mea execrabantur.* Sed agam ego
hïc interpretem Christi silentio suo tibi loquen-
tis. Si bene attendis, audies illum tibi tacitè di-
centem, quod mulieri Samaritanae: *Si sciras do-
num Dei, & quis est, qui adstat tibi.* O Herodes, si
scires

scires quis est: indubiè cum Petro, relictis omnibus, sequeris eum: si scires quis est; cum Thoma exclamares: *Dominus meus, & Deus meus!* ô Herodes, *visitavit te oriens ex alto*: sed tu stulte, aliquid faciens, non cognovisti *tempus visitationis tuae*. Ecce abit à te Jesus, & cum illo omne tuum bonum. Relinquetur domus tua deserta; nec videbis illum amodò, nisi in nubibus cœli venientem cum potestate magna. Tunc regnum tuum tolletur à te, & conijcietis miser in tenebras exteriores. Quid hîc dicam, nisi quod credo te, ô Jesu ab Herode spreto dixisse: *Confiteor tibi, Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te. An & nos inter parvulos? utinam! nam illud ad salutem est necessarium; Nisi enim efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Sed unde hoc nobis, ô Domine! stans ante Herodem spectabilis, nec te agnoscit: stas absconditus ab oculis nostris, & agnoscimus te Dominum ac Deum nostrum. Cur non te illi, ut nobis, revelasti? *Quia sic placitum fuit ante te.* Idem es qui adstabas Herodi in aula, & qui adstas nobis in ara: Herodes te sprevit; nos te adoramus. Cur te manifestas nobis parvulis, & abscondis Regi maximo? *Quia sic placitum fuit ante te.* Et modò, quot sunt, qui nos & sapientiâ, & potentiâ, & opibus, & viribus, & aliis naturæ dotibus antecellunt? Quot sunt inclyti sanguine, illustres gloriâ, conspicui sceptro & purpurâ Proceres, Magnates, Principes, Reges, qui pollent gratiâ, imperio, auctoritate: qui tamen omnes *iacent in tenebris & umbra mortis*: quibus *sol justitiæ non illuxit*; destituti fide, sine qua impossibile est placere Deo? Cur illis relictis, præ illis tamen multis, tam magnis ele-

Ioan. 20.

28.

Luc. 1. 78

Luc. 14.

19.

Matt. 18.

25.

Matt. 18.

3.

Luc. 1.

Sap. 5.

Heb. 11. 6

elegisti nos parvulos? *Quia sic placitum fuit ante te.*
 Sic tibi placuit aspicere parvulos, despiciere ma-
 ximos. O Christe, quia sic placitum fuit ante te,
 eligere nos; dum Herodes te dimittit ex aula sua,
 nos te admittimus in corda nostra: & quia ho-
 nor tibi ablatum est in Herodis palatio, ego illum
 tibi cupio restituere in hoc templo. Ego ergo hîc
 coram tota rerum universitate protestor, hanc
 me æstimare maximam gloriam, posse pro nomi-
 ne Jesu pati contumeliam. Hæc mea est libertas,
 Jesu servire; dignitas, Jesu subesse; felicitas, Je-
 su placere. Licet hîc mihi proponerentur omnes
 Principum purpuræ, Regum sceptræ, Cæsarum
 diademata, & reliqua honorum insignia: licet
 mihi offerrentur omnes opes, aurum, argentum,
 & omnes terrarum thesauri, & quæcumque hu-
 mana ambitio magni æstimat: hæc omnia abji-
 cerem, & arbitrarer ut stercora, ut Jesu serviam:
 mallémque substerni Jesu mei pedibus, quàm
 imperare omnibus terrarum Regibus. Sed non
 possum solus honorem Christo ablatum resti-
 tuere: itaque vos, ô cœli! ô terræ! ô inferi! con-
 currite mecum, vos vestras cum meis conjungi-
 te voces, omnesque strati ad pedes Christi, me-
 cum hæc verba, maxima cum animi submissione
 2. Tim. I. 17. pronuntiate: Jesu Christo, Regi *scilicet* ulorum immor-
 tali, invisibili, soli Deo honor & gloria.

§. V.

Induitur veste albâ, & remittitur ad Pilatum.

CHRISTUS coram tota curia Herodiana, tantæ
 que Procerum frequentia, càm stabat vultus
 placidissimi amabilitate, eâ totius corporis mo-
 destissimi compositione, càm oculorum serenitate,
 & oris suscipiendi majestate, totiûsque frontis
 con-

constantissimo colore, qui fiduciam causæ ostenderet etiam apud iniquum tribunal. Dixisses ibi stare non hominem innocentem, sed ipsam innocentiam. Licet lingua ei sileret, tamen frons, oculi, vultus, tota deniq; totius corporis relucens modestia loquebatur, in eo esse aliquid humano majus. At Herodes cum Christum videret ad omnia quæ sciscitabatur, obmutescens, ut stolidum & bucconem quemdam habuit; & supra insanos omnes insaniens, stultitiæ, qui erat Sapia Patris, insimulans, & in eandem insaniam Palatinos omnes præcipites trahens, postquam eum sprexit; *illisit indutum veste albâ, & remisit ad Pilatum.* Hic repente à toto exercitu in eum plenis buccis effunduntur scommata, dictæ, contumeliæ, opprobria. Audit fanaticus, amens, stultus, bardus; trahitur, imò rapitur per publica Jerusolymæ compita; confluunt certatim hominû undæ; replentur fores ædium, & fenestræ: ille sordibus ipsum impetit, alter vestibus in solum protrudit; ille calcibus percutit, alter manibus; omnes plaustra injuriarum in eum exonerant. Verè jam dixeris, ô Christe: *Prodigium factus sum multis;* imò ludibrium omnibus. Hæc inulti spectatis, ô magni hujus Domini famuli? Siccine otiosi conspicitis ex alto sperni vestrum Regem hinc in terris, quem vos te Etæ alis facie adoratis in cælis? jam, jam tempus est, ô Pater, ut apertis cælorum catartæ effundas Noëmicam pluviam, & deleas omnem substantiam, quæ est super terram. Quin jam, ô justitia, pluis super Jerusalem sulphureos nimbos, & in cineres redigis illos, tanquam pulverem ante faciem venti, qui cum sint pulvis & cinis, immensam Filii tui majestatem vilipendunt, à cujus tamen nutu illi omnes dependent? Sed quid

Luc. 23^o
11.

Ps. 70. 7.

In tēplo
Christus
sperti-
tur.

Eph. 6, 17

Matt. 17.

2.

Apoc. 19

16.

Honor
omnis
debetur
Christo.

Ioan. 8.

49.

quid ego ista vel contra Herodem, vel Herodia-
nos? Non unus est qui Christum spernit Hero-
des; multi sunt hodieque, & quidē hoc loco He-
rodiani, qui Christum illudunt indutum veste al-
bâ. Parcite mihi, si vobis non parcam; date veniā,
si securim ad radicem ponam; nolite mihi suc-
censere, si stringam hīc *gladium spiritus, quod est ver-
bum Dei*, contra eos qui spernunt Verbum Patris.
Sunt qui hoc sacratissimo loco, ubi nullus debe-
ret esse locus, nisi pietati, impiē exemplo Hero-
dis, verē magis Herodiani, quā Christiani,
Christum spernunt indutum veste albâ. Verē sub
albis speciebus panis, *vestimenta eius facta sunt alba
sicut nix*. Vos itaque illuditis illum *indutum veste
albâ*; quia non videtis regiā divinitatis ejus pur-
puram; illud, inquam vestimentum, in quo scri-
ptum est: *Rex regum, & Dominus dominantium*; sper-
nitis eum. Itane verō? Illius violatis honorem,
cui soli (ut antea audistis) debetur omnis honor?
si quis debetur honor in cœlo Angelis & Supe-
ris; si in terra Principibus, Regibus, Pontificibus;
si magistris, si parentibus, si ulli homini, ideo de-
betur illis honor, quia sunt membra Christi, cui
soli debetur omnis honor. Et vos illum spernitis?
Pater æternus honorat suum Filium honore in-
finito; & vos (ait Christus) *inhonorastis me*. Anima
quidem nostra est immortalis, sed primo illo mo-
mento, quo corporis jam soluta vinculis prodit-
bit in conspectum Christi, quando videbit infi-
nitum illum, immensę majestatis latē evibrantem
splendorem, Angelos omnes tantā submissione
honorantes, totam cœlestem curiam intentam,
& occupatam laudando, honorando, venerando
Christum, tanquam totius universi Dominum;
hęc sciens, & videns anima, & minor quanta le-
olm

olim coram Christo gesserit irreverentiâ, præ pudore & indignatione, tota deficeret, & in nihilum redigeretur. Sed hæc omnia abscondita sunt ab oculis vestris, quia Christus est hîc Deus absconditus. Interim mi JESU, Rex cordis, non ita es absconditus oculis meis, quin videam; & hîc coram omnibus agnoscam, tantæ te esse excellentiæ, ut omnium obsequiorum, amorum, honorû, & cujusvis subjectionis, quam res ulla creata potest adhibere, debitor existam. Dum te ibi in âra existentem, ut verum Deum considero, ut Sapientiam Patris æterni, ut splendorem ejus claritatis, ut speculum ejus pulchritudinis, ut vivum characterem ejus substantiæ: animis deficio, caligant oculi, stupet intellectus: & aliud nihil possum, quàm mirari, laudare, adorare sine fine incomprehensam majestatem tuam, infinites ingeminans: *Tu es Deus, & non est alius præter te.*

*Judith 9.
19.*

CAPUT VII.

Christus in atrio Pilati.

§. I.

De Flagellatione Meditatio prima.

Spectaculum sacro plenum horrore, nobis hodie exhibebit Synagoga plena iniquitate; quare & attentas exigo, dum exponitur, aures; & intentos, dum proponitur, oculos. Nos interim, ô Christe! si invenimus gratiam in oculis tuis, supplices obsecramus, ut qui & surdos fecisti audire, & cæcos videre, aperias & aures, ut cum fructu auditores; & oculos, ut cum sensu spectatores hîc nos sistamus. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.* Itane verò evangelista, tanta, tam augusta, per omnia omnia

Ioã. 19. 1.